

fructum circumscissum, qui ultimus aperte demonstrat hanc nulla ratione posse Silenis misceri. In tertio tomo Systematis, honorifica mentione illustris viri, emendabo et referam plantam ad Sandriam trigyniam, et emendabo reliqua.

Ter quaeso devotissima mea reddas illustr. viro, imo acutissimo oculatissimoque Botanico D. de Mygind pro communicatione tam pulchrae tamque egregiae observationis, certe per plures annos nihil accepi magis gratum, nihil pulchrius et jucundius. Certe si praesens essem oscula darem ipsius manibus. Sic oportet esse Florae vere satellitem. Si D. Poppowitzius ejusmodi detegeret, non aegre ferrem si in me insultaret, quamvis nec tamen invidео. vidi quae scripsit contra me D. Poppowitz, acria sunt et mala, sed nil inde didici, adeoque ea non lego amplius, tum me nec feriant. Nescio cur sit in me iratus D. Poppowitz, qui contra eum ne verbum reddidi. Quid feci? studui facere quod omnes Botanici student, pro rata parte reddere quidquam in augmentum artis. si nil potuerim, in arduis velle sat est, nec obligatus eram. Si non potui lustrare singula quae optaveram, error apud me non haeret, sed apud fata, quae me seposuerunt, ut non potueram ab eo addiscere, si ille melius noverit. Dicas illi me vitam agere tranquillam, nulli gravem esse; amare omnes, imprimis Florae filios tamquam meos germanos fratres, et putare filios mali moris esse, qui inter se morose vivant, nec amice. Sed redeam ad candidissimum D. de Mygind, verum Florae filium, nec capio ubi ille reperiat tot raras et pulchras plantas. Ejus *Bupleurum* n^o 4. est id quod dicere soleo *Bupleurum junceum*, caule virgato, foliis linearibus, involucriis universalibus triphyllis, partialibus pentaphyllis, cujus synonyma sunt *Bupleurum annuum angustifolium Magn. monsp.* *Bupleurum angustifolium Dod. pempt. 633.* *Bupleurum minus angustifolium monspeliense Raj hist. 474.* habeo plantam in horto humanae altitudinis; semina accepi Monspelio. non ausus fui hanc speciem inserere systemati ob *Bupleurum te-*